

et hierotheca minori seu sacro ciborio commode reponi queat, neque tamen sic in alto vel a fronte seu coronide mensae nimis procul posita, ut ad depromendam et exponendam Eucharistiam super altare ascendere necesse sit; neve potiore sacrae mensae partem ita occupent, ut vix in ista, quae ad Sacrum faciendum necessaria sunt, locari possint. Versatilibus, quae hinc inde inveniuntur, tabernaculis antiquiorem merito praeferimus Sanctuarii structuram, congruo ostio seu foribus muniti. Quae fores, si artificiosae formositatis causa perforatae fuerint, ab intus pretioso velo obducantur, ne muscis potissimum et araneis accessus pateat. Sit autem tabernaculum etiam intus vel panno serico aut tela quadam pretiosa albi coloris eleganter vestitum vel saltem solide inauratum.

Sit porro bene tutum, serris sat firmis custoditum et continuo clausum, ne ad illud temeraria manus possit extendi: clavis autem inaurata et cordula decenti ornata nullo modo cum aliis clavibus colligetur, nec ulli unquam laico aut aedituo credatur, cum potius ipsius Parochi vel ecclesiae rectoris honorificum sit officium et insignis praerogativa, ut clavem hanc et Sanctuarium Christi pie semper custodiat.

Quia tabernaculum nitido ceteroquin et mundo corporali stratum nonnisi asservandae Eucharistiae inservire debet: intus ab omni alia re vacuum sit oportet, adeo ut neque Reliquiae Sanctorum ibi recondi queant.\*)

Quumque ex decreto S. Rituum Congregationis super tabernaculo nec ipsius sanctae Crucis Reliquias collocare et exponere liceat; hinc minime tolerari potest consuetudo superimponendi pictas imagines, sculpturas, vasa

\*) Rit. Roman. De ss. Eucharistiae Sacramento.

florum aliaque ornamenta ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat. Imo nec in ostiolo seu ipso aditu tabernaculi talia collocare convenit. Sacrae Reliquiae nullo modo neque super ss. Eucharistiae tabernaculo ponantur, neque una cum ss. Sacramento recondantur, etiamsi ipsius sanctae Crucis particulae sint. (Tit. III. cap. VI. n. 1.)

Essentialem pastophorii ornatum constituunt lampades, quae, prout Rituale Romanum loquitur, plures sint, sed una saltem diu noctuque perpetuo coluceat. Ut istud lumen Christi nunquam deficiat, jugiter quippe oleo nutriendum: sollicitudinem et vigilantiam parochorum omniumque, qui ecclesiis praesunt, paterno affectu obtestamur, illorum conscientiam gravissime onerantes, quorum, quod absit, socordia vivificum Lumen mundi lumine continuo ardenti venerari nesciat. (Tit. V. cap. V.)

Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno albo serico decenter contextum. S. C. Ep. 26. Oct. 1575.

Ante Ostiolum Tabernaculi SSmi retineri non potest vas florum vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum cum Imagine D. N. in eodem insculpta; posse tamen in humiliori et decentiori loco. N. 3575 ad 10. die 22. Jannarii 1701.

Vd.: *Instructio Clem. S. V. n. 1. 3.*; *Reliquiae* (superimp. tabern.); *Conopaeum.*; *Tabernacul.*, (Materia); *Lampas.*

In tabernaculo ss. Sacramenti esse non debent vasa s. oleorum vel reliquiae vel aliud. S. C. Ep. 3. Maji 1693, 22. Februarii 1593.

Super tabernaculum, in quo asservatur ss. Sacram., nequit exponi reliquia s. Crucis aut alterius ex instrumentis dominicae passionis, adeo ut

ipsum tabernaculum inserviat pro basi. S. R. C. 12. Mart. 1836.

Altare vel locus, ubi repositum SS. Sacramentum, prae caeteris sumptuosius ac nitidius exornandum est. *Caer. Ep. I. I. c. XII. n. 16.*

Praeparandum ornandumque erit aliquod sacellum intra Ecclesiam (pro repos. SSmi finita processione in Coena Dom.), quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post missam recondendum sit SSmm et in eo altare cum sex candelabris ac cereis. *Caer. Ep. I. II. c. XXIII. n. 2.*

#### 10) Visitatio.

Vd.: *Visit. SS. Sacramenti.*

### TABULAE DEPICTAE SS.

(Venditio.)

Dubitari posset num tabulae pictae, quatenus in Capella venerationi expositae sint, aliquam spiritualitatem aquirant, ut in commercio esse nequeant. Sed si ad *materialia* capellae non pertinet Tabula picta, certe quidem inter sacra Supellectilia erit recensenda. Haec autem vendi posse interveniente venia apostolica definivit S. Congregatio in *dubio alienationis rerum Ecclesiae 7. Augusti 1683*, ut reperi definitum in *lib. 33. decr. pag. 243.* (Ex res. S. C. C. diei 22. Junii 1805. *Mathilicen.*)

### TALARIS.

#### 1) Delatio in Functionibus ecclesiast.

Vd.: *Visitat.* (de missa celebr.; parochi; presbyteror.); *Habitus clericor.* (§. 1. 5. 6.); *Constitut. Clem. XV. 7. Dec. 1706* in Bull. r. t. VIII. p. 262.; *Sacerdos* (habitus).

#### Ruben.

(Conc. Tr. c. 6. S. 14.; c. 12. S. 25. De ref.)

Prolato edicto per Episcopum in Visitatione peracta de anno proxime praeterito, demandante omnibus ecclesiasticis habitus talaris delationem

tum in ingressu quam in egressu ab Ecclesia ac in exercitio propriorum Ordinum aliisque functionibus ecclesiasticis, poena injuncta suspensionis ipso facto a Divinis sibi reservata adversus Sacerdotes caeterosque in sacris Ordinibus constitutos, quo vero ad reliquos inferioribus dumtaxat ordinibus insignitos, sub poena denegationis collationis ordinum superiorum nec non assequutionis Beneficiorum, etiam de jure patronatus laicali aliisque arbitrariis, Canonici illius Cathedralis sub praetextu, quod loci qualitas et ecclesiasticorum inopia ne utique ferre sinant ejusdem Edicti observationem, recursum habuerunt ad hanc S. C. pro ejus moderatione.

Desuper Episcopus informans transmissit praefati Edicti exemplar; quod in Summario dabitur ejusdemque observationem comprobare nititur, nedum, ut asserit, accomodum amoenitati loci, verum etiam ecclesiasticorum facultatibus; quocirca dignentur EE. VV. monito Procuratore Capituli resolvere infrascriptum dubium inter partes concordatum:

*An Edictum super delatione habitus talaris in Ecclesiis illarumque ingressu et egressu sustineatur in casu etc.?*

S. C. C. resp.: Sustinetur moderatis poenis arbitrio Emmi Praefecti.

Die 28. Julii et 18. Augusti 1708.

Apud *Ursayam* tom. 5. part. 2. disceptat. 16. num. 68. habetur haec celebris resolutio Sacrae Congr. Episcop. et Regular. in Callien. Synodi 20. Januarii 1720, in qua multa resoluta; et ad rem dicta die 20. Januarii 1720 fuit Episcopo Galliensi scripta Epistola vulgari idiomate inter alia continens, ut sequitur: „Che precetti a tutti gli ecclesiastici di dover vestire con abiti lunghi fino a' piedi, quando celebrano la s. Messa,

o intervengono nelle Sag. funzioni solamente, tanto d'està come d'inverno sotto pena di sei giorni di carcere formale per ciascheduna volta, che si contravenga, e quando vi fossero recidivi, possa estendere detta pena anche fino a dieci giorni; tollerando però, che quando non intervengano a detta Funzioni ecclesiastiche, possano usare Abiti più corti, purché sieno decenti e modesti, e che proibisca a Clerici poter usare Abiti secolareschi, con Manicone, e Saccoccie alla moda, sotto pena di due libre di cera bianca lavorata per ciascheduna volta.

Licet Sirmondo, Thomasino aliisque ultro concedatur, quinque prioribus Ecclesiae saeculis civiles Clericorum vestes modestia tantum, non forma, a communibus Laicorum vestibus discrepasse, ne suspicari quidem possumus, unquam licuisse christianae religionis ministris divina celebrare mysteria sine specialibus atque ad eum tantummodo usum destinatis sacris indumentis. Vide praeter Bonam Honoratum a s. Maria in suis animadversionibus in regulas et usum criticos t. II. diss. V. ubi disputat *de usu sanctarum vestium in mysteriorum divinorum administratione*, et Benedictum XIV. in *sacr. Missae lib. 1. cap. 7. seqq.*

*Relatio Episcopi Interamnensis ad S. C. C.*

Aliqui ex Presbyteris majorem addiderunt audaciam, ut scilicet ad cathedralem Ecclesiam non jam in choro, non habitu talari et superpelliceo induti sed brevi se contulerint ibique intra Populum et coram Episcopo in spreto quodammodo exultantes constitierint, ut quisque dignosceret, se omni occupatione, quominus accederent, solutos voluntarium non necessarium spreto commississe.

Contendit Episcopus in sua Informatione Presbyteros simplices et Clericos omnes ad interventum in Pontificalibus Episcopi teneri tum ex Decreto sancti Zepherini Pontificis, tum prescius ex synodalibus Constitutionibus publicatis Interamnae ab Antistite Andreasi. Haec enim jubent in cap. 7: Clerici quicumque celebranti Episcopo et Pontificalia exercenti tonsura, talari veste ac superpelliceo decenter ornati adsistant et inserviant eundemque una cum Canonicis ab ipsa Aula seu Palatii Camera ad cathedralem Ecclesiam deducant, prout hactenus laudabiliter observatum est atque in novo Caeremoniali disponitur sub animadversione ad arbitrium. Impediti vero de causa nos monere debebunt. Quae synodalis Sanctio, unde praecedens etiam observantia deducitur, non quidem gravis videri debet, cum quinquies aut septies in anno advocet ad Ecclesiam Presbyteros vix per unam horam. Hinc exempla hujus sanctionis allegat in Constitutionibus Metropolitanae Firmilatis ab Archiepiscopo Borgia, Ecclesiae Aesinae ab Episcopo Fonseca; Ecclesiae Fulginatensis ab Episcopo Baptistelli publicatis et alias multas hujusmodi Constitutiones.

Die 20. Novembris 1802.

*Edictum super celebratione Missarum.*

Hieronymus Episcopus Sabinensis s. Romanae Ecclesiae Cardinalis Rusticucci SS. D. N. Papae Vicarius Generalis et Romae Curiae Judex Ordinaris. Universis et singulis Patriarchalium et Collegiatarum Dnis Canonicis ac Parochialium Rectoribus et earumdem ac quarumcumque aliarum Ecclesiarum tam saecularium quam regularium necnon hospitalium et aliorum piorum locorum Capellanis, Sacristis, Custodibus et quovis alio nomine nuncupatis praesenti scripto edicimus ac praecipimus et mandamus ne

de cetero aliquos Presbyteros Sacerdotes exteros et in Urbe non notos in eorum Ecclesiis et Capellis ad celebrandum Missas admittant nisi illos, qui licentiam nostram vel Vicesgerentis nostri manu subscriptam ostenderit et in habitu clericali cum debita et congrua tonsura ac talari veste (septem tamen Urbis Ecclesias in breviori habitu visitantibus exceptis) induti inceserint et comparuerint et non alios, quod qui non fecerint et praesentibus non paruerint, poenam decem aureorum vice qualibet eo ipso sciant se incurrisse, et ad hoc ut praemissa omnes reminiscantur volumus, praecipimus et mandamus, ut praesentium exemplar etiam impositum in parietibus uniuscujusque Ecclesiae per Sacristas seu illos, qui sacristiae praesunt sub eadem poena affigatur, perpetuo permansurum. Decernentes insuper ut earumdem praesentium litterarum in locis solitis affigen. impressarum etiam copiarum executio quemlibet arctet perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent vel ostensae. In quorum fidem etc. Datum Romae in Aedibus nostris die 15. mense Januarii MDCII. P. N. Papae Clementis Anno X. B. Gypsius Vicesg. — Pro D. Jo. Jac. Lazzaro Not. Philippus Baffanus.

(Anal. J. P. 1857 p. 2801.)

2) Extra Functiones eccles.

Salernitana.

Quamvis S. Concilium Tridentinum Sess. 14. Cap. 6. de Reform. verbis expressis non injunxerit ecclesiasticis personis usum vestis talaris, sed solum jusserit deferri habitum, *eorum Ordini et Dignitati congruentem et juxta Episcopi ordinationem ac mandatum*, nihilominus haec Sacra Congregatio rata semper habere consuevit Episcoporum decreta de usu vestis talaris. Praesertim vero in Hortana

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

8. Julii 1690 praeposito dubio: *An Edictum seu Praeceptum Episcopi sustineatur?* rescriptum fuit: Secretario ad mentem. Quae sic explicata fuit: *Sustineri Edictum, Sacerdotes teneri semper incedere in habitu talari et Clericos maxime in functionibus ecclesiasticis, et quoad poenas Episcopus moderate procedat*, ut in lib. 40. decr. pag. 436. Rursus in Ostunen. Synodi 6. Julii 1799 ad VII. dubium respondit: servandum esse decretum proxime relatum in Hortana, ut in lib. 47. decret. post 294. Sic quoque in Melevitana Synodi 4. Junii 1707 ad XXVII. prodiit rescriptum: Constitutionem synodalem sustineri, cum licentia tamen gratis danda, ut in lib. 57. decret. pag. 205. Idemque in Ruben. (vd. p. 367.) Dubium erat: *An Edictum super delatione habitus talaris in Ecclesiis illarumque ingressu et egressu sustineatur?* Ita resolutum fuit: *Sustineri, moderatis poenis arbitrio Eminentissimi Praefecti. Hic vero hunc in modum declaravit: „Nos ad mentem ejusdem S. Congregationis nobis expressam declaramus a supradicto Edicto episcopali delendam esse contra inobedientes videlicet quoad Sacerdotes poenam suspensionis ipso facto incurrendae: quoad Clericos poenam, quod non possint promoveri ad Ordines sacros nec admitti ad Beneficia, quamvis de jure patronatus: et quoad Sacristas, poenam suspensionis; et respective quoad Clericos poenam Interdicti ab ingressu Ecclesiae: et loco predictarum poenarum mulctandos esse in quinque libris cerae albae laboratae et in subsidium Suspensionis et Interdicti ferendae sententiae respective“*, ut in lib. 28. decr. p. 288. Recentius vero in Sorana Edicti 20. Maji 1719 rescriptum fuit: *Servandum esse Edictum*, ut in lib. 69. decretor. pag. 261. Et denique in Marsicen.

cum Episcopus simile promulgasset Edictum, sed, dum Clerici ad sacrum Subdiaconatus Ordinem essent promovendi, exigeret ab eis jusjurandum de Edicto observando. Sacra Congregatio die 15. Decembris 1731 rescripsit: servetur Edictum Episcopi, sed non exigatur praestatio Juramenti.

In eadem quoque sententia perstitit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, quae hujusmodi Edictum ab Episcopo Monopolitano latum approbavit die 1. Octobris 1728.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

1. An Dignitates et Canonici praedicti cogi possint ad incedendum in habitu talari usque ad occasum Solis, excepta tamen occasione eundi ad loca ruralia? Et quatenus affirmative;

2. An adversus Dignitates et Canonicos praedictos in casu inobedientiae sit procedendum etiam per inquisitionem?

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative; ad 2: Ad mentem.

Die 27. Septembris 1732.

*Vestis talaris usus an, quibus et sub qua poena praecipitur valeat ab Episcopis?*

Quamquam Sacrum Concil. Tridentinum sess. 14. cap. 6. de Reformat. verbis expressis non injunxerit ecclesiasticis personis usum vestis talaris, sed solum jusserit deferri habitum „eorum Ordini et Dignitati congruentem et juxta Episcopi ordinationem ac mandatum“, nihilominus S. Congr. Concil. rata semper habere consuevit Episcoporum decreta de usu vestis talaris. Praesertim in Hortana 8. Julii 1690, ubi proposito dubio: *An Edictum seu praeceptum Episcopi sustineatur?* rescriptum fuit Secretario: *Ad mentem, quae sic explicata fuit: sustineri Edictum, Sacerdotes teneri semper incedere in habitu talari et Clericos maxime in functioni-*

*bus ecclesiasticis; et quoad poenas Episcopus moderate procedat.* In lib. 40. decretor. pag. 435.) Rursus in Ostunen. Synodi 6. Julii 1697 ad VII. dub. respondit: *Servandum esse decretum proxime relatum in Hortana.* (In lib. 47. decret. post pag. 294.) Sic quoque in Melevitana Synodi 4. Junii 1707 ad XXVII. dub. prodit Rescriptum: *Constitutionem synodalem sustineri cum licentia tamen gratis danda.* In lib. 57. decretor. p. 205. Itidemque in Ruben. de habitu talari. Ad dubium hoc: *An Edictum super delatione habitus talaris in Ecclesiis illarumque ingressu sustineatur?* ita resolutum fuit: *Sustineri moderatis poenis arbitrio Eminentissimi Praefecti, qui sic declaravit; Nos ad mentem ejusdem S. Cong. Nobis expressam declaramus a supradicto edicto Episcopi delendas esse poenas contra inobedientes, videlicet quoad Sacerdotes poenam suspensionis ipso facto incurrendae; quoad Clericos, poenam quod non possent promoveri ad Ordines sacros nec admitti ad beneficia quamvis de jure patronatus; et quoad Sacristas poenam suspensionis; et respective quoad Clericos poenam interdicti ab ingressu Ecclesiae.* Et loco praedictarum poenarum multandos esse in quinque libris cereae albae laboratae et in subsidium suspensionis et interdicti, ferendae sententiae. (In lib. 58. decret. p. 238.) Recentius vero in Sorana Edicti 20. Maji 1719 rescriptum fuit: *Servandum esse Edictum ut in lib. 69. decr. pag. 291.* Et denique in Marsicen. cum Episcopus simile promulgasset Edictum, sed, dum Clerici ad sacrum Subdiaconatus Ordinem essent promovendi, exigeret ab eis jusjurandum de Edicto observando. Sacra Congregatio die 15. Decembris 1631 rescripsit: „*Servetur Edictum Episcopi, sed non exigatur praestatio Juramenti.*“ Et in Saler-

nitana Edictorum 27. Septembris 1732 ad 3. dub.: *An Dignitates et Canonici Cathedralis cogi possent ad incedendum in habitu talari usque ad occasum Solis excepta tamen occasione eundi ad loca ruralia?* respondit: *Affirmative.* Et consimiliter respondit S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 1. Octobris 1728 in Monopolitana approbando hujusmodi Edictum ab Episcopo latum.

Afferitur lepida observatio de veste talari, ratione cujus multi sine Abbatia passim vocantur Abbates teste Lubin. de Abbat. ad Lectorem, §. de Abbatum numero, sequentibus verbis: „His vero novissimis temporibus tum curialium vanitate tum adulatione amicorum et plebis ignorantia infinitus evasit, ut stultorum, sic Abbatum numerus, adeo ut homo talari veste indutus ab omnibus Abbas aestimetur et appelletur, qui fatuorum more sibi blandiens de vano titulo gloriatur et ex solius familiae nomine nova sed chimerica creditur Abbatia.“ Indequè in Urbe lepide distinguuntur Abbates in duas species, quarum una creatur a Dataria, alia vero a Sartoribus, qui eo ipso, quod alicui habitum ecclesiasticum faciunt, dicuntur ei dare titulum se faciendi vocare Abbatem: Quapropter S. M. Innocentius XI. cuidam nobili romano petenti ecclesiasticum beneficium eo praetextu, ut posset denominari Abbas, serio respondit, non esse opus ad dictum effectum obtinere aliquod beneficium, ex quo satis erit, habitum deferre ecclesiasticum; sic expresse refert, ut sequitur *Ursaya lib. 3. Instit. Crim. tit. 4. num. 5. et 6.* improbens cum aliis, quod jam omnes Presbyteri ratione solius vestis vocentur Abbates.

Vestis Clericorum statui conveniens est talaris. Hinc fere omnia celebrata Concilia post Tridentinum clericos co-

egerunt ad gestandam vestem talem et quidem nigri coloris. In Concilio provinciali Mediolanensi 1. part. 2. sanctus Carolus Borromaeus de Clericorum vestitu loquens ait (Part. 1. Act. Ecclesiae Mediolanens. pag. 18.): In omni vestitu color tantum niger adhibeatur... externa vestis simplex et talaris est.“ In Concilio Mediolanensi anni 1570 tit. de vita et honestate Clericorum. cap. 3. (tom. 10. collect. Hard. col. 1195.) jubentur Clerici majorum Ordinum, cum in publicum prodeunt, gestare vestem talem. Concilium Ramense anni 1583 tit. de Clericis in genere n. 8. (ibid. col. 1292.) „Veste ecclesiastica eaque talari ac decenti utantur omnes Clerici.“ Concilium Burdigalense ejusdem anni tit. 1. sess. 21. (ibid. col. 1359.) cap. 2.: „Vestes eorum sint talaris.“ Quodque notabilius est, Concilium provinciale Narbonense anni 1602 cap. 41. (tom. 11. collect. Hard. col. 44.) Clericos etiam noctu incedentes ad deferendam vestem talem coegit: „Noctu incedentes ex rationabili causa togas talaris deferent.“ Conciliis provincialibus concinunt innumerarum Synodi dioecesanarum congestae a Genetto Theolog. moral. tom. 1. tract. 1. cap. 9. et in Appendic. ad Synodum Fulginatensem Episcopi Baptistelli pag. 171. et sequent. Unde sacrarum Canonum rigorem non augent sed emolliunt synodales Constitutiones, quae obligationem deferendi vestem talem a pluribus Conciliis omnibus Clericis generatim impositam ad solos limitant Clericos majorum Ordinum aut ecclesiasticum Beneficium possidentes. Et majori adhuc indulgentia lenitum reputari debet episcopale Edictum, solos compellens Sacerdotes ad eam saltem induendam, cum Ecclesiam ingrediuntur Sacris operaturi, cujusmodi est illud, quod promulgavit Benedict. XIV. uti Archiepis-

copus in Dioecesi Bononiensi. Sic idem expressis verbis in *Synodo dioecesis. lib. 7. c. 19. n. 3. et 4. Qui ibid. num. 1. testatur quod ecclesiastici omnes, qui adversus consimiles sanctiones uti nimio rigore conspersas dictitantes provocarunt ad Sacram Congregationem Concilii, semper succubuerunt, uti videre est in notificatione 81. et in Epistola pastorali bon. mem. Cardinalis Lanfredini edit. in civitate Aesina 1740. pag. 187. et sequent.* Et quidem merito succubuerunt reclamantes contra tam justas sanctiones; immo severe puniri deberent, qui vestes proprio non congruentes Ordini deferunt contra expressum *Decretum Concilii Trident. sess. 14. cap. 6. de reformat. ibi:* „Quia vero, etsi non habitus facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant etc.“ Unde contra ecclesiasticos in hoc delinquentes jam dixerat *s. Bernardus de consideration. ad Eugenium III. lib. 3. cap. 4.* „At forma haec vestium deformitatis mentium et morum indicium est. Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum minusque sincerum. Nempe habitu milites, quaestu Clericos, actu neutrum exhibent, nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant“ et contra alios magis adhuc in forma vestium delinquentes *s. Hieronymus scripsit ad Eustochium epistola 22.* „Tales cum videris, spon- sos magis existimato quam Clericos“.

#### Nucerina.

Ad vestes talares quod attinet etiam extra Ecclesiam deferendas, in quo tertium versatur dubium et in quo Clerici Validenses quamplurimum ob-

strepunt, haec habet Episcopus: *Nihil aliud feci quam evulgare in Summario Edictum in calce Concilii Romani appositum juxta ejusdem sacri Concilii Decretum tit. 16. cap. 3. ubi dicitur:* Illudque (Edictum) Episcopi alique respective in suis etiam dioecibus publicandum et omnino observandum curent. Vestrum hinc erit definire, num Validinensi Clero conveniat contra propriam communemque universae pontificiae ditionis consuetudinem hujusmodi Edicto se conformare, fascesque Episcopi pietati zeloque submittere. Debent quidem Clerici per decentiam habitus extrinseci, ut ait *Synodus Trid. sess. 14. cap. 6. de Reform., morum honestatem intrinsecam ostendere.* Porro qui sit dicendus amictus seu vestis Ordini clericali conveniens difficile est generatim definire, quum pro temporum locorumque varietate extra Ecclesiam, (in qua semper constans et firmus manere idem debet vestis talaris usus) varium esse et immutari posse indubitatum est approbante etiam piorum hominum more, cui maxime est deferendum.

Verum ad haec ob oculos Emorum PP. ponit Episcopus, quae notat *Bened. XIV. de Syn. dioecesis. lib. 11. cap. 8. Per tot.* Plures, ait SSmus Pontifex, synodales Constitutiones sunt in invidiam adducta criminatione nimiae novitatis, quae tamen expensae ad sacrorum Canonum normam, deprehensae sunt eorundem rigore potius temperasse. In nonnullis Synodis aut Episcoporum Edictis jussi sunt Clerici sive in Sacris constituti sive ecclesiasticum beneficium possidentes, veste uti oblonga nigri coloris, quam talarem appellamus, adjecta poena in contumaces. Adversum has sanctiones, quas nimio rigore conspersas dictitabant, provocarunt ecclesiastici ad S. Congregationem Concilii; sed semper provocantes succubuerunt: quod videre est in Instit.

71. et in Epistola pastorali bon. mem. Cardinalis Lanfredini edita in civitate Aesina anno 1740 pag. 287. et sequ. Nihil quippe visum est corrigendum in decretis, quae fulciebantur auctoritate Tridentini *sess. 14. cap. 6. de Reform.* ubi, oportet, ait, Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre.

(Ex resol. S. C. C. diei 10. Decembris 1817.)

#### TALISMAN.

*Bened. PP. XIV. de ritibus etc. in regnis Madurensi etc. Indiar. Oriental.*

Cum moris hujus regionis sit, ut Infantes sex vel septem annorum, interdum etiam in teneriori aetate, ex Genitorum consensu, matrimonium indissolubile de praesenti contrahant per impositionem Tally seu aurea tesserae nuptialis, uxoris collo pensilis, Missionariis mandamus, ne hujusmodi irrita matrimonia inter Christianos fieri permittant nec Sponso sic conjunctos cohabitare sinant, donec completa legitima aetate et explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiae, juxta formam a sacro Concilio Tridentino praescriptam, verum et canonicum matrimonium contraxerint. Et quoniam apud peritiores impiae illius religionis Sectatores Tally praesefert imaginem, licet informem, Pulleyaris sive Pyllajaris idoli nuptialibus caeremoniis praepositi, cumque dedecet christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii, districte prohibemus ne in posterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; et ne uxores innuptae videantur, poterunt uti alio Tally vel sanctissimae Crucis vel Domini Nostri Jesu Christi vel beatissimae Virginis vel alia quavis religiosa imagine ornato: et cum superstitione non careat funiculus centum et octo filis compositus et croceo succo delinitus, quo plerique dictum Tally ap-

pendunt, prohibemus etiam dictorum florum numerum et unctionem.

Die 12. Septembris 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 400.)

*Ad dub.* Episcoporum Madurensium etc.: An et quomodo praedictum decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis: Cum moris hujusmodi regionis sit etc.?

Eminentissimi dixerunt: Exequendum esse decretum Eminentissimi de Tournon, cum declaratione tamen: servandam esse formam pro matrimoniis a sacro Concilio Tridentino praescriptam in locis, in quibus decretum dicti Concilii in cap. 1. sess. 24. de reform. matrim. publicatum est et imposterum publicabitur, neque ejus observantia sit impossibilis; et missionarii curent, quantum fieri potest, ut in omnibus locis missionum illarum partium dictum decretum concilii publicetur.

Die 12. Septembris 1744.

#### TANTUM ERGO.

1) In expos. SSmi 40 hh.

*Cf.: Pange Lingua. Quis intonat? Vd.: Instructio Clem. §. XXIV. n. 7. Quando intonandum? Ibid. n. 8. 9.—13.*

2) Genuflexio.

*Ad dub.:* An in 1. Vesp. SSmi, quae solemniter celebrantur, et tamen non expositum, sit genuflectendum in hymno cum dicitur: *Tantum ergo etc.?*

S. C. resp.: *Ad consuetudinem Ecclesiae.* N. 2259 ad 2 die 4. Augusti 1663.

Omnes genuflectere debent in recitando officio in choro ad verba: *Tantum ergo etc.* N. 2345 ad 14. die 31. (Julii) 1665.

*Ad dub.:* An ad *Tantum ergo etc.* genuflectere intelligatur de tota strophā

scilicet usque ad aliam respective: *Genitori etc.?*

S. C. resp.: Ad integram stropham. N. 2805 ad 7 die 14. Nov. 1676.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 10. 11. 12. 13.

### 3) In Missa cantandum.

In elevatione SSmi in missis sol. cani potest *Tantum ergo etc.* vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria. n. 4233 ad 6 die 14. Aprilis 1752.

### 4) Quomodo cantandum in Officio?

Vd.: *Organ. in Matut. etc.*

## TAPETUM (ALTARIS ET THRONI EPISCOPI).

Non licet Archiepiscopo sterni facere tapeta in suis gradibus, quando gradus altaris stant nudi sine paramenti. N. 917 die 5. Julii 1631; n. 928 die 2. Augusti 1631.

Vd. *Pulvinar.*

## TAXA.

### 1) Solvenda pro sepulturis.

Vd.: *Quarta funeralis.*

### 2) Solv. pro exped. liter. de altare privil.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

### 3) Pro Param. et aliis Utensilibus.

Vd.: *Utensilia* (taxa).

## TE DEUM.

### 1) Auctor hujus hymni.

Magna de hujus Cantici Auctore controversia est. Plerique, qui ad saeculum XVI. scripsere, Canticum *hocce a s. Ambrosio cum Augustino*, in hujus Baptismo decantatum fuisse statuerunt. Verum id deinde magnae auctoritatis Scriptores negarunt. Ita *Gavantus* in recentiori Merati editione tom. 2. parte 1. ad Rubricas Brev.

sect. 4. cap. 19. ad rubric. 31. pag. 362. in tex. *Gavanti* n. 1. ubi censet esse solius Ambrosii, qui plurimos hymnos composuit. Accedit Merati in novis dissertationibus, observationibus, inquam, p. 363. a p. 1., qui n. 3. p. 374. suspicatur potius esse vel s. Hilarii Arelatensis vel alicujus Monachi Livinensis. Petrus Puricellus in dissertatione Nazariana cap. 69. n. 7. et 8. putat esse solius s. Ambrosii, quod etiam vult Martene ad cap. 2. Regulae s. Benedicti et ad eandem Regulam ibi Petrus Boerius et Thobias Lohner in *Instruct. practica de Officio divino* part. 2. tit. 1. §. 11. Hugo Menardus in notis ad unctionem Regum Francorum tom. 3. Operum s. Gregorii edit. paris. pag. 585. nota 1803 negat compositum et decantatum in Baptismo s. Augustini; de Auctore nil definit, quod idem faciunt Paulus Posca in *Martyrologio ecclesiastico Mediolanen.* ad diem 14. Januarii in s. Datio. Mabillonius tom. 1. *Analector* et in dissertatione de Azymo cap. 6. asserit rem esse dubiam, nec constare, an sit illorum ss. Doctorum. Grancolas Comment. in *Breviar.* lib. 1. cap. 33., Muratorius tom. IV. in Praefatione ad *Histor. Landulphi senioris*, de *Scriptoribus rerum italicarum*, *Raynaudus* tom. XI. tract. de bonis ac malis libris, partitione 1. erotemate X. n. 189. pag. 270. et *Cangius* in glossario verbo: *Hymnus Te Deum*, cum plurimis aliis negant referendum ad Ambrosium et Augustinum; sed cujus sit, non statuunt. *Card. Bona* lib. de divina Psalmidia cap. 16. §. 12. n. 3. innuit, ab aliquibus tributum cuidam Sisebuto Monacho, sed ipse id rejicit; at hanc opinionem secutus est *Natalis Alexander* tom. 4. *Histor.* ad saecul. 4. cap. 6. art. 27. n. 12. pag. 161. edit. Lucensis, sed illud rejicit Merati loco supracitato n. 3. pag. 373.

Luculentam de hac controversia disputationem a doctissimo P. Fabio Davretta conscriptam edidit Romae 1751 Cl. Emmanuel Azevedo in *Dec. suarum exercitationum liturgicarum* p. 190. seqq. Aliqua ex ea promemus.

*Nullus certe potiore jure canticum hocce sibi vindicare potest, quam s. Ambrosius*, cui passim adscribitur; modo statuam, jam illud fuisse ab Ambrosio compositum atque in Mediolanensi Ecclesia jam decantatum fuisse, antequam de Augustini baptisate cogitaretur. Hanc sententiam, quae *Gavanti* est, Petri Puricelli in dissertatione Nazariana cap. 39. num. 7. et 8., atque Edmundi Martene ad cap. II. Regulae s. Benedicti, eo libentius amplectimur, quia aptissima est conciliare discrepantes Auctorum opiniones, et si non in totum, magna ex parte tueretur communem persuasionem, quae Hymnum hunc Ambrosii et Augustini vult. Dato enim, quod ille, auctore Ambrosio, jam fuerit in usu apud ejus Ecclesiam, non difficile creditur decantatus potissimum fuisse occasione Baptismatis celeberrimi illius, ex quo deinde profluerit nomenclatura illa, quod alio nomine apud populum non audiret, quam hymni ss. Ambrosii et Augustini.

Ad hanc confirmandam sententiam praesto est Ambrosius ipse in *Oratione de Basilicis non tradendis*, ubi ait: „Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt Ariani. Plane ne hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius, quam confessio Trinitatis, quae quotidie totius populi ore celebratur. Certatim omnes student Fidem fateri, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum norunt versibus praedicare.“ Fateor, hic Ambrosium universim loqui de suis Hymnis; at si potissimum dixero intendisse digitum in Hymnum hunc *Te Deum*, praeter auctoritatem doctissimi Puricelli, me non absurda loqui suadent

1. quod hic loquitur de expressa Confessione Trinitatis, 2. de Confessione, qua praecipue armarentur Fideles contra Arianorum dolos, Filii divinitatem et perfectam aequalitatem cum Patre impugnantes, et 3. de confessione, quae quotidie a populo decantaretur. Concedo, plerosque alios Ambrosii Hymnos in ultima stropha habere breviter confessionem Trinitatis: fateor etiam, eandem confessionem contineri in Ambrosii Hymnis: 'Jesu redemptor gentium: et Deus Creator omnium, et: Splendor gloriae; at nullus ex his inscribitur: Confessio Trinitatis. Canticum vero *Te Deum* expressa est confessio; incipit enim „*Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*. Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia. Patrem immensae majestatis. Venerandum tuum verum et unicum Filium (vide quam apta sint contra negatum ab Arianis omousian Filii); Sanctum quoque Paraclitum Spiritum. Tu Patris sempiternus es Filius contra eosdem Arianos, Filium factum in tempore docentes. Tu ad dexteram Dei sedes in Gloria Patris; en gloriae aequalitatem in filio, quem Ariani patre minorem praedicabant. Item alios Ambrosii Hymnos, qui offeruntur ad explicanda ejus verba, difficile suaderi potest quotidie a Populo decantatos. At noster Hymnus quotidianae modulationi deputatus apparet. *Per singulos dies benedicimus te. Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire*. Igitur si quis verba Ambrosii perpendat, negare non potest, illis exprimi fusiorem aliquem Trinitatis et Fidei confessionem quotidie a Fidelibus recitatam: aut igitur haec fuit symbolum Fidei, et hoc non patiuntur verba Ambrosii, aut Hymnus est iste, in quo summa quaedam deprehenditur confessionis Fidei, praesertim circa Trinitatem et Incarnationis mysterium. Atque hinc factum, ut in codicibus